

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 2080

**Auteur(s)** : Raoul du Planchey, bourgeois de Louviers [autre]

**Bénéficiaire(s)** : Godefroy de la Rochelle [clerc]

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1250, janvier

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Raoul du Planchey, bourgeois de Louviers, du consentement d'Asceline, sa femme, donne à maître Godefroi de la Rochelle, clerc, personne de l'église de Louviers, son pré, dit la Noe de Raoul de Maupertuis, situé à Louviers, entre la rivière d'Eure et le pré des religieux de Saint-Taurin, moyennant la rente d'une paire de gants du prix de trois tournois, payable à la Pentecôte.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissy, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CLXXXIV, p. 223-224.

Texte établi d'après a

Noverint universi tam presentes quam futuri quod ego, Radulfus de Plancheio, burgensis de Locoveris, assensu Aceline, uxoris mee, et heredum meorum, dedi et concessi et hac presenti carta mea confirmavi magistro Godefrido de Rupella, clerico, persone ecclesie de Locoveris, pratum meum quod vocatur Noa Radulfi de Mal Pertuis, situm apud Locumveris, inter riveriam que vocatur Eure, ex una parte, et pratum virorum religiosorum abbatis et conventus Sancti Taurini Ebroicensis, ex altera ; tenendum et possidendum imperpetuum predicto magistro vel cuicumque illud dare, concedere vel assignare voluerit, de me et heredibus meis, libere, quiete et pacifice, sine aliqua reclamacione mei de cetero vel heredum meorum, reddendo inde annuatim michi et heredibus meis idem magister vel assignati sui unum par cirothecarum in festo Pentecostes precii trium turonensium, pro omnibus rebus et serviciis ad dictum pratum pertinentibus.

Et ut dictum pratum libere possideant tam ipse quam assignati sui, ego et heredes mei solvere tenemur quinque solidos turonenses de residuo hereditatis nostre annuatim domino capitali, et similiter quitare debemus, ego et heredes mei, dictum pratum de omnibus que aliqua ratione inde exigi poterunt a dicto magistro vel quibuscumque assignatis suis.

Et quia nolo quod predicti abbas et conventus Sancti Taurini, qui dicti prati sunt domini capitales, predictum magistrum vel ejus assignatos pro redditu quinque solidorum predictorum, quos annuatim de dicto prato nomine annui redditus percipere consueverunt, ulterius molestare possint, predictos quinque solidos turonenses annui redditus eisdem abbati et conventui assignavi et atornavi pro me et heredibus meis, recipiendos annuatim in masura quam de me tenet Rogerus dictus Quinzepiez, apud Locumveris, in masura que sita est inter masuram filie Rogeri Breyche, ex una parte, et masuram Galteri dicti Cantel, ex altera, hiis terminis predictis abbati et conventui annuatim persolvendos, videlicet, ad Pascha duos solidos Turonensium et sex denarios, in festo beati Remigii duos solidos et sex denarios. Et ego et heredes mei memoratum pratum dicto magistro et assignatis suis, per redditum dictarum cirothecarum, ad usus et consuetudines Normannie, et dictos quinque solidos annui redditus dictis abbati et conventui garantizare tenemur vel in residuo hereditatis nostre valore ad valorem excambiare.

In cujus rei testimonium, sigillum meum presenti scripto apposui.  
Auctum anno Domini M° CC° XL° nono, mense januarii.